

præsens tum futurum, abjiciatur : sic enim habet decretum 18 febr. 1809, art. 9 et 10 : *Chaque hospitalière conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et le droit de les administrer et d'en disposer conformément au Code civil. Elle ne pourra par acte entre-vifs, ni y renoncer au profit de sa famille, ni en disposer, soit au profit de la Congrégation, soit en faveur de qui que ce soit.* Eadem dispositio ad omnes alios religiosos *legaliter* agnitos extenditur. Aliæ utriusque sexus personæ, Deo per vota quantumvis solemnia consecratæ, dominium honorum acquisitorum et acquirendorum coram lege abjicere nequeunt.

In earum igitur votis, sive velint, sive nolint, necessario deesse videtur solemnitas voti paupertatis, ac consequenter solemnitas duorum aliorum votorum : nam, ex usu Ecclesiæ et communi sensu doctorum, professio religiosa non est divisibilis : est tota solemnitas vel nulla.

Plures arbitrantur vota apud nos in religionibus olim stricte approbatis regulariter emissa esse solemnia, non obstantibus legis civilis dispositionibus : rationes eorum sunt, 1^o quia vota, ut pote media perfectionis, sunt tantum de foro Ecclesiæ, et lex civilis ea non potest attingere ; 2^o quia alioquin nulla essent, nec esse possent vota solemnia in regionibus hæreticis, et in aliis ubi lex civilis ea non agnoscit, quod videtur oppositum praxi et doctrinæ Ecclesiæ.

Alii autem forsitan probabilius contendunt nunc apud nos solemnia non esse prædicta vota, quia necessario deest omnimoda dominii abdicatio, quæ, in præsentia Ecclesiæ disciplina, jure communi ad votum religiosum paupertatis strictissime requiritur : lex enim civilis sola de dominio honorum statuit, et sub hoc respectu etiam in foro interno obligat, vel saltem qui vovent, dispositionem legis cognoscentes, nec volunt nec velle debent, omne honorum dominium abjicere, propter incommoda inde pro ipsis nascitura.

Inter hæc duo satis constare videntur : 1^o summus Pontifex a dispositionibus juris communis dispensare posset et efficere ut votum paupertatis, prout fit in Gallia, ad so-

lemnem professionem sufficeret, etiamsi lex civilis vim habeat in foro interno in iis quæ spectant ad dominii abdicacionem, quia, ex dictis, plena dominii abdicatio non est de essentia paupertatis religiosæ. Sic sane voluit pro locis Hollandiæ, Angliæ, etc., ubi vota religiosorum habentur ut solemnia, nisi prior sententia habeatur ut vera. 2^o Vota monialium habentur ut simplicia, idque ex variis sacræ Pœnitentiariæ responsis ; v. g., 2 jan. 1836 : « Monasteria, prout nunc in Galliis existunt, a Sede Apostolica, attentis specialibus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed ut piissimarum familiæ feminarum æstimanda. » Jam 23 jan. 1821 fuerat responsum « eas in ordine ac religione sua vere professas dici censi non posse. »

At responsio 2 jan. 1836 fert expresse « decreta per S. Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales. » Refertur tamen aliquod S. Cong. de Propaganda fide responsum 24 aprilis 1831, quod supponit similiter simplicia esse vota Trappensium. Verum hujus ordinis religiosi, Carthusiani, Benedictini et Jesuitæ contendunt sua vota a S. Cong. episcoporum et regularium haberi ut solemnia. Nullum autem citatur decretum authenticum omnem tollens ambiguitatem. Quoad viros igitur res saltem dubia remanere judicatur.

Sequitur ergo omnia et sola quæ de votis simplicibus paupertatis, obedientiæ et castitatis diximus, applicanda esse monialibus quæ a perturbatione Gallicana apud nos professione emiserunt etiam in ordinibus olim solemniter approbatis. Alia movebatur quæstio, videlicet, ad quid tenerentur moniales ante perturbationem rerum solemniter professæ et e monasteriis expulsæ ? Sed cum fere nullam nunc habere possit applicationem, eam prætermittimus.

Punctum tertium. — *De obligatione regularum et constitutionum regularium.*

Constitutiones et regulæ, sub quo nomine intelliguntur etiam statuta ipsis superaddita auctoritate legitima, obli-

gant 1^o sub mortali in essentialibus votorum, ut patet, et in gravibus præceptis, si quæ habeant a lege divina aut ecclesiastica mutuata vel superaddita, quod rarum est; 2^o in multis obligant tantum sub veniali, nempe in communibus statutis et regulis, supposito quod hæc præcipiant, quia objectum non est grave, aut non rigorosa est intentio obligandi; 3^o sæpe nequidem per se obligant sub veniali, quia non habentur ut præcepta, sed ut mera consilia, quod ex verbis expressis, ex circumstantiis et ex communi interpretatione in ordine recepta cognoscitur. Hinc transgressio regulæ sub peccato obligantis est peccatum grave vel leve, juxta materiam, contra votum obedientiæ et ideo contra virtutem religionis; v. g., Carthusianus edens carnes et Franciscanus feria sexta non jejunans, peccant contra obedientiam et simul contra temperantiam. Transgressio vero regulæ non obligantis sub peccato, non est peccatum contra votum obedientiæ, siquidem nullum violatur præceptum. Merito tamen notant auctores, ut *S. Th.*, 2 2, q. 186, art. 9, ad 1, *Sanchez*, *Layman*, *Vasquez*, *Suarez*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc., transgressionem hujusmodi regulæ raro omni peccato vacare, propter negligentiam, libidinem, contemptum, etc.

SECTIO TERTIA. — De religionum origine et distinctione.

1^o Status religiosus ab ipso Christo substantialiter fuit institutus, ut supra diximus: primitus tamen non fuerunt religiosi a mundo separati sicut nunc existunt, sed plures Christiani utriusque sexus, in variis societatis Christianæ ordinibus degentes, durius quoddam et asperius vitæ genus sequebantur, rerum divinarum meditationi instantes; dicti sunt ascetæ a voce græca ἀσκησις, idem significante ac *exercitatio*, quia in abstinentia, jejuniis aliisque virtutis operibus sese exercebant. Si vota castitatis, obedientiæ et paupertatis, saltem in quodam gradu tunc recepto emittebant, reipsa Deo erant dicati et substantialiter religiosi.

2^o Scæviente violenta Decii persecutione, in medio tertii

sæculi, multi in montes ac in vicinas solitudines confugerunt, ut ibi ab ethnicorum vexationibus securi, liberius pietati et rerum divinarum contemplationi vacarent. Hoc vitæ genus, quibusdam adeo fuit jucundum ut, pace Ecclesiæ reddita, in mundum redire noluerint. Ex eorum numero fuerunt S. Paulus eremita (id est, habitans eremum) et S. Antonius solitarius, quorum prior fuit vitæ anachoretarum auctor, et posterior illius fuit illustrator, ut ait *S. Hieron.*, Epist. 18 ad Eustochium. Anachoreta venit a particula græca ἀνα et verbo χωρεῖν, et significat hominem qui in solitudinem recessit. Homo sic vivens dictus est etiam monachus, a græco μοναχός, solitarius.

3^o S. Pachomius, anno 348 defunctus, socios in solitudine sibi adjunxit, regulam scripsit ut omnes vitam communem agerent: varias ædificavit domos in Thebaide, prope Nilum in Ægypto, quæ vocatæ sunt monasteria, a μοναστήριον, solus, et ἀσκησις, in loco sisto; vel cœnobita, a κοινός, communis, et εἶς, vita, et in quibus vidit ante mortem suam usque ad septem millia monachorum ad summam perfectionem tendentium.

4^o S. Basilius Magnus, versus annum 359, quæ a SS. Antonio, Hilarione, Pachomio et utroque Macario de instruendis monachis verbo tenus audierat, aut sibi tradita erant, scriptis mandavit, quædam reformavit, et confecit regulam quæ ab episcopis hujus sæculi approbata fuit, modo quo regulæ religiosorum utriusque sexus approbari debuerunt usque ad concil. Lateran. IV, et generatim per Orientis regiones fuit adoptata. Unde S. Basilius habitus est ut monachorum Orientalium patriarcha: regulam ejus professi sunt, inter multos alios Sanctos, S. Ephræm, S. Chrysost., S. Greg. Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, Hesychius, Cassianus, etc. Nunc fere omnes monachi Græci et Orientalis Ecclesiæ hanc adhuc profitentur regulam.

5^o S. Aug. post suam conversionem, circa annum 388, se recepit rus, prope Carthaginem, cum quibusdam amicis, et ibi proprietate omnium bonorum, etiam domus in qua habitabant, abjecta vel in communi posita, vitam duce-

bant monasticam. Hæc institutio fuit origo, juxta multos, totius ordinis Eremitarum S. Aug. ad quem multæ pertinerunt congregationes, quas Alexander IV in generali unione conjunxit per bullam *Licet Ecclesiæ*, anno 1256. Quando idem S. Doctor fuit episcopus, voluit ut omnes Ecclesiæ suæ clerici vitam regularem secum ducerent, et veri fuerunt religiosi sub regula quam eis imposuit, et inde ordo clericorum seu canonicorum regularium qui per varias Occidentis regiones in multas congregationes existerunt et etiam nunc existunt.

6° Circa annum quingentesimum, S. Benedictus eremita, postea duodecim monasteriorum institutor in monte Sublaco, deinde, anno 529, celebris monasterii in monte Cassino fundamenta jecit. Adeo perfecta est regula quam scripsit et monachis suis imposuit, ut in diversis sæculis multi doctores varios tractatus circa illam confecerunt et ediderunt. Tantus fuit numerus congregationum sub ea regula viventium, ut Benedictus vocatus fuerit pater monachorum Occidentalium, sicut S. Basilius monachorum Orientalium.

7° S. Franciscus Assisinas, in initio decimi tertii sæculi, pater fuit numerosæ religiosorum familiæ sub nomine generali Franciscanorum aut Fratrum Minorum, ad quos pertinent Observantes, Recollecti, Capucini, Conventuales, Reformati, Tertiarius ordo, etc. Anno 1210 suam scripsit regulam rigorosam, strictam et perfectam, quam Franciscani et alii a Deo fuisse revelatam asserunt.

8° S. Dominicus, circa idem tempus, Fratrum Prædicatorum institutor, regulam S. Aug. adoptavit.

9° Sub specialibus regulis adhuc prodierunt 1° Carthusiani a S. Brunone in valle Carthusiana fundati, et anno 1084 ab Alexandro II approbati; 2° Carmelitæ, quos plures volunt esse antiquissimos, vel etiam a propheta Elia in monte Carmelo institutos, ortum habuerunt in duodecimo sæculo, juxta multos alios: regulam eorum approbavit Honorius III, anno 1226; 3° Minimi, a S. Francisco de Paula instituti circa annum 1486, et a Sixto IV approbati; 4° Clerici regulares Societatis Jesu valde celebris, a

S. Ignatio de Loyola instituti circa annum 1534, et approbati successive à Paulo III, Julio III, Gregorio XIV, a Clemente XIV suppressi, anno 1773, et a Pio VII, anno 1814, restituti, etc.

Hinc regulares, generatim spectati, dividuntur 1° in monachos, in claustro viventes, officium canonicum celebrantes, et laboribus sive manuum sive intellectus vacantes, ad quos referuntur Benedictini, Carthusiani, Camaldulenses, Cistercienses, etc.; 2° in mendicantes, qui officium celebrant, prædicant, confessiones audiunt, vivunt aut vivere debent, juxta suum institutum, ex eleemosynis: tales sunt Dominicani, Franciscani, Carmelitæ et Augustini a S. Pio V, anno 1567, inter mendicantes numerati et in quarto ordine collocati; 3° in clericos regulares, qui publicum non celebrant officium, sed juventutis educationi, prædicationi, aliisque sacri ministerii functionibus toti incumbunt; quales sunt Theatini, a Cajetano de Tienna versus annum 1524 fundati, Jesuitæ, Somaschæ, Barnabitæ, Clerici Minores, Clerici infirmorum Ministri, Clerici piarum scholarum; Redemptoristæ, a S. Alphonso de Ligorio instituti, etc.

Ad eos referuntur 1° Canonici regulares, a S. Chrodegango, Metensi episcopo, anno 766, primum instituti, deinde sub diversis regulis valde numerosi, et postea in congregationem Sanctæ Genovefæ apud nos coadunati; 2° Præmonstratenses, a S. Norberto anno 1120 fundati in valle quæ dicebatur Pratum Monstratum, unde nomen eorum venit.

Finis uniuscujusque ordinis religiosi non ita est absolutus ut monachus, v. g., prædicare non valeat, orationi vel divino officio addictus studere et scribere non debeat, etc. Multæ enim admissæ sunt exceptiones, et unus finis alios non semper excludit.

10° Plures sunt insuper congregationes clericorum sæcularium, v. g., congregatio de Oratorio, a S. Philippo Nerio, anno 1550 Romæ instituta, et a Gregorio XIII per bullam *Copiosus* confirmata; congregatio de Oratorio Jesu, a Petro de Bérulle, presbytero, deinde cardinali, in Gallia

fundata et a Paulo V anno 1613 confirmata; congregatio Oblatorum, a S. Carolo Borromæo circa annum 1580 instituta; congregatio presbyterorum Missionariorum, a S. Vincentio a Paulo versus annum 1626 fundata et anno 1632 ab Urbano VIII approbata, etc.

11° Quamvis omnes religionum ordines in substantia votorum et in fine principali, scilicet in perfectione acquirenda, sibi convenient, multum tamen discrepant in fine immediato et in mediis quibus singuli utuntur. Hinc alia religio est contemplativa, quæ in rerum divinarum contemplatione principaliter se exercet; alia activa, quæ ad opera misericordiæ et charitatis, ex primæva sua institutione destinatur; alia est mixta, in qua contemplationis et vitæ activæ exercitia uniuntur, ut in Societate Jesu et in pluribus ordinibus.

12° Negari non potest, sin omnino necessarios, saltem valde utiles esse ordines religiosos, cum, teste experientia et cum laude declarantibus Romanis pontificibus, religiosi precibus, exemplis, doctrinis et laboribus innumera Ecclesiæ attulerint bona et multa averterint mala. Unde refert sancta Theresia Christum sibi dixisse: *Væ mundo! si religiosi non essent!* Si cunctas utilitates ex ordinibus religiosi in Ecclesiam et societatem redundantes enarrare vellemus, infiniti essemus.

13° Summe fuit expediens quod variæ instituerentur religiones, ut homines propensionibus et aptitudine tam diversi statum sibi magis congruentem eligere possent: hæc igitur varietas ex sapienti providentia Dei contigit.

Qui diversarum religionum originem, progressum, lapsus, reformationes, etc., cognoscere voluerit, legat opus P. Hélyot; *Histoire des ordres monastiques*, etc., vel saltem breve compendium D. Henrion, *Histoire des ordres religieux*, etc.

SECTIO QUARTA.— De conditionibus ad candidatorum admissionem requisitis.

In professione religiosa fit contractus inter recipiendum et communitatem eum recipientem: fieri potest ut ille

contractus sit nullus, si nempe desit conditio essentialis; vel tantum illicitus, si omittatur conditio requisita, sed non essentialis. Itaque duplicis generis distinguuntur impedimenta ad professionem religiosam, sicut ad matrimonium, dirimentia scilicet et impedientia.

Impedimenta dirimentia.

Impedimenta dirimentia sunt defectus Baptismi, dependentia ab altero, differentia sexus, amentia, et defectus ætatis.

1° *Defectus Baptismi*; quia, cum religio sit pars Ecclesiæ, nullus ei valide incorporari potest, nisi jam sit membrum Ecclesiæ.

2° *Dependentia ab altero*; qui enim non est sui juris non potest se totaliter alteri tradere et hujusmodi traditio essentialiter nulla est: professio religiosa tamen totalem supponit sui traditionem: ergo. Hinc 1° mancipium religionem sine consensu domini valide profiteri non potest; 2° nec conjux, matrimonio consummato, sine consensu compartis suæ, quæ, si sit juvenis, debet pariter religionem ingredi et profiteri, et si sit senex, in sæculo remanere potest, sed cum voto perpetuæ continentia, Decretal. l. 3, tit. 33, cap. 4, 8 et 13. Excipitur casus adulterii notorii vel saltem per sententiam declarati: tunc pars innocens religionem profiteri posset; item si una pars veram religionem deserat, separatione auctoritate Ecclesiæ pronuntiata, altera contradicente et continentiam non vovente; Decretal. l. 4, tit. 19, cap. 4 et 6. 3° Nec episcopus sine consensu summi Pontificis, ut expresse declarat Innocentius III, in Decretal., lib. 3, tit. 31, cap. 18, § *Si vero*: « Quia, inquit Pontifex, sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. » At Urbanus II, in Decreti parte 2, causa 19, q. 2, can. *Relatus*, dicit de clerico in genere, ac proinde de quolibet sacerdote etiam parochi et archidiacono: « Si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio vel in regulari canonia salvare se voluerit... etiam epis-

» copo suo contradicente, est liber auctoritate nostra. » Suum tamen officium deserere non potest inconsulto episcopo, ut recte notat *Billuart* et bonus ordo exigit.

Professus in aliqua religione in laxiorem transire non potest absque dispensatione summi Pontificis. Decretal., *ibid.* et concil. *Trid.*, sess. 25, de Regul., cap. 19.

3° *Differentia sexus*; nam 1° cohabitatio virorum cum monialibus strictè prohibetur in Decreto, p. 2, causa 18, q. 2, can. 21 et 22. 2° Professio valida esse non potest, nisi fiat in religione approbata: atqui professio monialis apud monachos, aut vice versa, certe non fieret in religione in eo sensu approbata, nec ab Ecclesia nomine Dei acceptaretur: ergo. Vide *S. Ligorium*, l. 4, n. 74.

4° *Amentia*; professio enim est essentialiter actus libertatis, cujus amens est incapax. Qui amens esset circa quædam tantum, et non circa alia, vel lucida haberet intervalla, profiteri posset, sed illicite admitteretur, quia ad religionem non est aptus.

5° *Defectus ætatis*; sic enim habet conc. *Trid.*, sess. 25, cap. 15, de Reg.: « In quacumque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. »

An autem consensus parentum requiratur? Communiter dicunt auctores illum non esse requisitum ut professio sit jure canonico valida, sed ordinarie requiri nobis videtur jure naturali ut sit licita, nisi parentes, humiliter rogati, consensum puberibus absque legitima causa pertinaciter denegent. In hoc *S. Ligorio*, aliisque ab eo citatis, l. 4, n. 68, non plene assentiendum putamus.

Nunc apud nos, minores profiteri non possunt, absque consensu parentum, vel ascendentium, vel concilii familiaræ, ante ætatem qua matrimonium sine eorum consensu inire queunt: hoc nulla lege exprimitur, sed ex dispositio-

nibus Codicis ad matrimonium respicientibus eruitur. Professio tamen valida esset coram Deo et Ecclesia, sed ordinarie illicita, prout diximus de matrimonio; et talis admissio valde imprudens esset ex parte monasteriorum.

Impedimenta impediencia.

Valide quidem, sed illicite admitterentur:

1° *Li quorum ascendentes directi sunt in gravi necessitate, si manentes in sæculo eis sine gravi periculo salutis succurrere possint; naturale enim præceptum de honorandis parentibus, propositum, imo et voto ingrediendi religionem prævalet, quia votum legi naturali oppositum est nullum. Si autem filii manentes in sæculo parentibus succurrere non possent, aut si grave periculum salutis incurrerent, aut si parentes ab aliis conveniens auxilium recepturi essent, impedimentum religionis jam non existeret. Parentes illicite profiterentur si relinquerent liberos in gravi necessitate. Fratrum autem necessitas, nisi sit extrema, professioni absolute non obstat. S. Lig., l. 4, n. 69 et 70.*

2° *Excommunicatus etiam toleratus, quia licite cum aliis communicare non potest in divinis: peccat igitur, et qui scienter eum recipiunt peccant etiam, peccato ejus cooperando.*

3° *Illegitimus, si pater ejus in ea religione professus adhuc vivat; et suscipiens excommunicatur, ex bulla Greg. XIV Circumspecta: non tamen irrita declaratur professio.*

4° *Ære alieno gravatus vel rationem habens reddendam, si spes affulgeat quod remanens in sæculo debitoribus satisfacere possit, ut in Tractatu de Restitutione ostendimus, nisi debitores consentiant. Professionem eorum irritaverat Sixtus V per bullam Cum omnibus: Clemens VII iritationem sustulit, manentibus tamen contra recipientes pœnis, scilicet privatione vocis activæ et passivæ, officiorum et dignitatum, ac perpetua inhabilitate ad illa possidenda.*

In ea tamen prohibitione non comprehenduntur monia-

les, ut ipse Sixtus V declaravit bulla *Ad Romanum*; nec debitores qui ignorant cui debeant, quia tunc cum restitutio impendenda sit in pias causas, satisfaciunt donando religioni quod donare possunt; nec ii quorum debita sunt levia respectu ad creditores; nec debitores ex liberali promissione, quia adest ratio sufficiens contractum resiliendi, et insuper non censentur ære alieno gravati.

In eodem ordine reputandus est qui virginem sub promissione matrimonii defloravit.

5° Infames sive ex delicto enormi notorio, furto, adulterio, homicidio, sive ex pœna ignominiosa a iudicibus imposita, sive ex genere artis, ut sunt carnifices, scurræ, histriones, lenones, etc., nisi diuturna pœnitentia, vitæ sanctitate, singularibus meritis nota infamiæ in hominum mentibus fuerit deleta: ratio est, quia religio est status honorificus quem personæ commendabiles amplectuntur, et iis nimis grave esset habere pro sociis et confratribus vel consorioribus personas infamia notatas.

Sixtus V professionem criminiosorum notiorum per bullam *Ad Romanum* irritavit: Clemens VIII irritationem sustulit per const. *In suprema*, sed privationem vocis activæ et passivæ, officiorum et dignitatum reliquit.

6° Infirmas talis ut prævideatur tanquam probabile quod persona, juxta regulam ordinis, ordinarie futura sit incapax vivere et communes obligationes implere, nisi aliunde sufficientem præbeat religioni vel monasterio compensationem.

SECTIO QUINTA. — De novitiu.

1° Novitiatus est mutuum experimentum quo religio ex sua parte experitur an expediat novitium vel novitiam admittere; et novitius vel novitia, ex altera parte, an vota religionis in eo ordine vel monasterio prudenter emitteret. Cum hujusmodi experimentum in bonum totius religionis et Ecclesiæ fuerit per legem generalem institutum, novitius vel novitia et monasterium ex mutuo consensu ei nunc, sicut olim fiebat, renunciare non possunt.

2° Probatio regulariter in habitu religioso facienda est,

ut statuitur vel supponitur in Decretal., l. 3, tit. 31, cap. 9, 16 et 23; in Sexto, l. 3, tit. 14, cap. 1; et in Clem., l. 3, tit. 9, cap. 2, et communi omnium religionum praxi habetur. Ratio est, quia habitus religiosi gestatio est quædam austeritas quam experiri convenit, et aliunde aptitudo ad vitam regularem sub habitu religioso facilius dignoscitur.

Concilium Trid., sess. 25, cap. 15, de Reg., supponit habitum esse de novitiatus essentia, et ita communiter docent auctores, inquit *Ferraris*, verbo *Annus prob.*, n. 3: attamen in Anglia, in Hibernia et in aliis hæreticorum locis novitii in habitu sæculari probantur, teste *Billuart*. Id legitime fieri potest ex dispensatione summi Pontificis, vel ex consuetudine legitime præscripta.

3° Habitus novitiatus ordinarie est diversus, saltem sub aliquo respectu, ab habitu professionis, et, juxta ceremonias pro unaquaque religione statutas, a prælato vel ab alio ex licentia ejus et consensu conventus imponitur: ita ut nec conventus sine prælato, nec prælatus seu superior sine conventu, ad religionem aliquam recipere possit, ut expresse habetur in Decretal., l. 3, tit. 10, cap. 4, 5 et 6. Attendi tamen debent constitutiones, regulæ et privilegia cujusque religionis pro receptione novitiorum: si quis a non habente auctoritatem in religione fuerit admissus, ejus admissio nulla est, et legitimus superior eum habitu spoliare ac e religione dimittere potest. *Ferraris*, verbo *Novit.*, n. 7.

4° In jure canonico nulla determinatur ætas pro suscipiendo habitu religioso: *Billuart* præten dit quod, completo anno pubertatis, nihil obstat quominus novitiatus statim incipiatur; sed ex variis Cong. episc. et regul. decretis a *Ferraris*, verbo *Annus prob.*, n. 6 relatis, novitii vestiri, id est, habitum suscipere non possunt quin annum ætatis suæ decimum quintum attingant, seu decimum quartum compleverint. Possunt tamen hac ætate minores in monasteria recipi ibique morari; sed commoratio ista rationem probationis non habet.

5° Olim, cum novitiatus ad substantiam religionis non pertineret, vel abbreviari, ex consensu partium, poterat,

vel fieri extra monasterium, ut patet ex Decretal., l. 4, tit. 6, cap. 7, ubi mulier quædam declaratur religiosa, licet monasterium ingressa non fuisset. Nunc vero, ex tenore capituli conc. Trid. supra citati, novitiatus valide perfici non potest extra monasterium vel domum ordinis in quo facienda est professio; alioquin non esset vera probatio tum pro religione, tum pro novitio vel novitia. In Italia et insulis adjacentibus fieri debet, ex const. Clementis VIII et Innocentii X, ibi receptis, in monasterio a sancta Sede designato.

6° Annus novitiatus ordinarie incipit a momento suspensionis habitus, et sub pœna nullitatis, debet esse integer, ita ut, anno bissextili, expectandus sit lapsus diei qui additur; hoc expresse Cong. concilii Trid. declaravit die 4 junii 1627 et 31 aug. 1633. Ubi specialis existit domus novitiatus, annus requisitus computatur a die ingressus in eam domum.

7° Debet esse continuus et sine ulla interruptione. Unde, testibus *Fagnani* et *Ferraris*, Cong. concilii decrevit novitium qui a monasterio ut aliam religionem ingrederetur abierat, et duas tantum horas in alio conventu traxerat et statim facti pœnitens redierat, novum probationis annum incipere teneri. Annus vero probationis interrumpi non censetur, 1° si novitius animo fugiendi aliquantisper intra claustra latitasset, etiam habitu dimisso; 2° si retento habitu, e monasterio secreta exiisset, etiam cum animo non revertendi, sed exterius non manifestato; item si, dimisso habitu, exiisset ut superiorem majorem adiret, vel ob aliam rationem, non vero cum intentione manifestata religionem deserendi; 3° si ex licentia superioris, cum habitu exeat causa peregrinandi, pia loca adeundi, parentes aut cognatos ægrotantes invisendi, mendicandi, propter sanitatem deambulandi, meliorem aere fruendi, etc. Attamen definitum est novitiam quæ intra annum probationis remittitur domum curanda, reversam novitiatum reincipere debere, sed absque cæremoniis, ad vitandas expensas; 4° si, anno probationis completo, e monasterio cum licentia superioris exiisset propter infirmitatem, etiam

post triennium ad professionem sine nova probatione admitti potest, ut patet ex decreto S. Cong. diei 27 feb. 1596; 5° imo si novitius vel novitia absque licentia superioris exiisset, anno probationis completo, ad professionem sine nova probatione admitti posset, ut eadem Cong. censuit die 12 feb. 1589; 6° si novitius vel novitia anno probationis finito, habitu exspolietur, iterum admitti et profiteri potest sine altero novitiatu, non autem si habitum sponte deposuisset; 7° item si intra probationis annum a capitulo dimittatur, habitu spoliatur, et mutata sententia, iterum admittatur, annus probationis non interrumpitur, et ideo non incipiendus est de novo: secus, si novitius e domo jam exiisset, nisi agnosceretur illum ob injustam causam expulsum fuisse. Super his omnibus vide *Ferraris* verbo *Annus prob.*, n. 14 et seq.

Infirmitas autem, quantumvis longa et gravis, novitiatum per se non interrumpit, sicque novitius vel novitia per totum annum probationis ægrotans, si ad religionem habilis judicetur, expleto anno, statim admitti potest.

8° Ex privilegio a S. Pio V per constit. *Summi sacerdotis*, anni 1570, concessio monialibus S. Dominici, et per communicationem, aliis tam viris quam mulieribus, novitii in casu morbi iudicio medici mortalis, professionem ante annum novitiatus completum emittere possunt, modo ætatem a concilio Trid. requisitam habeant; et id quidem, ut probabilius, ad consequendas indulgentias et percipiendas alias gratias regularibus concessas: si autem convalescant, novitiatum complere et novam professionem solemnem emittere debent. Ita *Billuart*, *Ferraris*, loco citato, n. 49, et alii.

9° Legitima interveniente causa, tempus probationis prorogari potest usque ad sex menses, maxime si novitius vel novitia de præsentibus esset inhabilis ad profitendum et adesset spes superventuræ habilitatis, ut S. Pius V declaravit pro patribus Dominicanis; et si, propter pertinacem infirmitatem vel aliam causam, ultra sex menses protrahenda esset professio, æstimat *Ferraris*, n. 34, pro hac obtinenda facultate adeundam esse sedem Apostolicam,

et ita a S. Cong. concilii decisum esse. Testatur vero *Pascerinus*, referente *Billuart*, se vidisse contrarium ex justa causa fieri, contenditque restrictionem S. Pii V ad sex menses non esse præceptivam, sed directivam. Unde concludit idem *Billuart*, professionem ad arbitrium viri prudentis, attentis circumstantiis, differri posse. Idem supponit *Pellizarius*, in tractatu de Monialibus, cap. 3, quæst. 7.

10° Qui religionem fecte ingrederetur et habitum susciperet sine animo profitendi, vel initio habuisset intentionem profitendi, et postea, mutato proposito, nihilominus habitum detulisset atque in omnibus se præbuisset externe tanquam novitium, anno elapso valide profiteri posset, quia jus positivum novitiatum præcipiens intentionem non præscripsit. Item qui vi aut metu habitum suscepisset et in novitiatu perseverasset, nihilominus valide profiteretur, si hoc tempore liber esset, quia nullibi jus irritat novitiatum sic peractum. Ita *Billuart*.

11° Si quis ab uno conventu in alium, vel ab una provincia in aliam transeat, sed ejusdem ordinis et sub eodem generali, ad novum probationis annum non astringitur: si vero in alium ordinem, sive strictiorem, sive laxiorem transeat, annum novitiatus perficere debet, perinde ac si religiosus non fuisset. Ita communis auctorum sententia et diversarum religionum praxis absolute tenenda: eadem quippe est ratio experimenti, sive ex parte suscipiendi, sive ex parte religionis illum suscepturæ.

12° Novitius vel novitia licite potest, generaliter loquendo, tempore novitiatus, absque superioris consensu, habitum deponere et in mundum revertere, nisi voto hanc ingrediendi religionem ligatus sit, aut voto ingrediendi religionem in genere, et sufficientia habeat signa vocationis in eo monasterio. Constitutiones et regulas strictè non tenentur observare, nec officium recitare, cum nullo adhuc constringatur vinculo. Rectus tamen ordo exigit ut in omnibus fideliter obediat, tempore probationis, alioquin non deberet admitti. Cæterum, iisdem privilegiis et indulgentiis ac professi gaudent novitii, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Ita *Ferraris*, verbo *Novit.*, n. 20.

13° Quando, ut nunc generaliter, monasteria non sunt annuis redditibus sufficienter fundata, licet convenientes a novitiis exigere dotes: quantitas dotis, sive nummariæ, sive pensionis annuæ, ab episcopo vel a superiore determinanda est. Vide quæ supra diximus, ubi de Simonia. p. 222.

Concil. Trid., sess. 25, cap. 16, de Regul., prohibet ne, excepto victu et vestitu, aliquid ex bonis novitii vel novitiæ quocumque prætextu, ante professionem, monasterio tribuatur, ne libertas ejus discedendi lædatur, et præcipit, sub pœna anathematis ferendæ sententiæ, ut *abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ erant sua*, et etiam ex decisione S. Congreg. quæ erant parentum eorum. Si ergo, ex rationabili causa, dos cum licentia episcopi ante professionem fuisset acceptata, restituenda foret, deductis expensis, supposito quod non fieret professio, nisi proprietas ejus omnino libere concederetur.

14° Quæ huc usque in præsentî sectione diximus respiciunt tantum ad ordines olim solemniter approbatos, non vero ad congregationes in quibus simplicia emittuntur vota, licet valde expediat ut in his piis familiis non recedatur a principiis quæ Ecclesia pro ordinibus strictè regulariis statuit.

15° Quamvis nullus teneatur directe, sub peccato, sequi consilia evangelica, fieri tamen potest ut quis vocationem religiosam negligendo, plus minusve peccet, juxta gradum periculi cui salutem suam exponit, divinæ vocationi non respondendo. Vide *S. Ligorium*, l. 4, 78.

SECTIO SEXTA. — De professione religiosa.

1° Professio religiosa est Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum, se astringit certæ religioni ab Ecclesia approbatæ. Hæc solemnî promissio non complectitur solos alicujus speciei actus, ut v. g., in voto simplici castitatis, sed totalem sui ipsius traditionem importat, non per modum contractus reciproci utrinque

obligantis, quo profitens se religioni daret sub conditione quod a religione sustentaretur; hic modus enim simoniacus esset. In professione vero religiosa fit sui ipsius liberalis donatio ad propriam utilitatem, et monasterium donationem accipiens susceptum vel susceptam inter membra sua admittit ac sustentare tenetur; non in pretium votorum, sed propter familiæ vincula.

2° Patet, ex superius dictis, plura ad validam religionis professionem esse requisita, quæ hic non sunt repetenda. Quædam insuper requiruntur jure communi, scilicet: 1° ut professio, sicut et novitiatus, fiat in monasterio regulari, et non alibi: in Italia fieri debet, sicut novitiatus, in conventibus designatis, ut expresse statuit Urbanus VIII, die 31 januarii 1630; 2° ut professio sit libera, id est, cum plena advertentia, sine errore in substantialibus, absque metu gravi ab extrinseco injuste ad hunc finem incusso, ut patet ex variis juris canonici textibus, et ex conc. Trid., sess. 25, cap. 15, ubi inter causas reclamandi prima reponitur: *Si quis per vim vel metum inductus fuerit*: hæc plena libertas similiter existere debet in iis quorum requiritur consensus ad personæ admissionem. Unde defectus sufficientis libertatis in superiore, vel in religioso aut moniali vocem activam habente, professionem redderet nullam. 3° Nulla requiritur forma generalis ad validam religionis professionem; sed ubi aliqua in ordine vel in monasterio præscribitur, convenit ut servetur; *Ferraris*, verbo *Profess. regul.*, n. 38. 4° Vota suscipienda sunt a prælato vel superiore legitimo, juxta constitutiones et privilegia uniuscujusque ordinis, ut ex Decretal., l. 3, tit. 31, cap. 13 et 16, clare eruitur, aut ab alio a superiore legitime delegato; quia ex regula juris 68, *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*. 5° Consensus majoris partis capituli requiritur, nisi aliter statuunt constitutiones approbatæ.

3° Professio fieri potest per procuratorem, sicut matrimonium, ut communiter docent auctores. Vide *Ferraris*, verbo *Prof. regul.*, n. 51.

4° Quicumque nulliter professus est, ex quacumque

causa nullitas proveniat, contra professionem suam reclamare potest, modo servet dispositionem concilii Trident., sess. 25, cap. 19, de Regul. Tres potissimum requiruntur conditiones, videlicet: 1° ut habitum non deponat, nec e monasterio cum habitu sine licentia superioris discedat; nisi forte, superiore licentiam negante, ex justa causa vel sine habitu, a monasterio aufugeret, et majorem superiorem vel ordinarium loci causam nullitatis defensurus adiret; *Ferraris* verbo *Prof. regul.*, n. 70; 2° ut causam nullitatis ante egressum coram superiore et ordinario loci conjunctim deducat et probet, aut si agatur de monialibus non exemptis, coram solo ordinario; 3° ut id faciat intra quinquennium a die professionis incipiendum. Elapso autem quinquennio, solus Pontifex maximus de nullitate professionis judicare posset, et ipsi exponenda foret causa cur intra quinquennium non fuisset reclamatum.

5° Nulliter professus, et impedimento amplius non retentus, professionem ratificare potest expresse vel tacite: expresse coram superiore vel legitime delegato, si causa nullitatis fuerit nota; absque superiore, si causa fuerit occulta, et ex parte solius profitentis se teneat, v. g., quia ante ætatem aut fecte professus est. Tacite autem, si anno probationis expleto et debita ætate acquisita, actus ad solos professos attinentes exerceat, uti est habitum eis proprium patenter deferre, in capitulo suffragium dare, etc., modo sciat professionem suam fuisse nullam, et eam per hujusmodi actus fieri posse validam.

6° Quidquid nonnulli contradixerint, certum videtur professionem nullam nullum inducere effectum, nequidem voti simplicis. Talis quippe est sensus verborum concilii Trident., sess. 25, cap. 15, de Regul. in fine; et revera qui religionem profiteri volebat, aliam obligationem sibi imponere non intendebat. Nec etiam interruptit aut annullat novitiatum, sive ex toto sive ex parte factum.

SECTIO SEPTIMA. — De effectibus professionis religiosæ.

1° *S. Th.*, 2 2, q. 189, art. 3, ad 3, et generaliter theologi cum illo, docent professionem religionis importare

remissionem omnium peccatorum quoad pœnam, supposito tamen quod profitens sit in statu gratiæ; nam actus se totum divinis obsequiis mancipandi « excedit, inquit » *S. Th.*, omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ. » Insuper Paulus V indulgentiam plenariam concessit, per bullam *Romanus pontifex*, diei 23 maii 1606, omnibus regularem professionem emittentibus. Plures contendunt hanc indulgentiam obtineri quoties professio renovatur etiam privatim, ut videre est apud *Ferraris*, verbo *Prof. regul.*, n. 98. Negant *Sanchez* et alii plures.

2° Professio religiosa exstinguit omnia vota simplicia prius emissa, etiam votum strictiorem ingrediendi religionem, quamvis pro transgressione huiusmodi voti imponenda sit pœnitentia. Sic expresse habetur in *Decretal.*, l. 3, tit. 34, cap. 4, et in *Sexto*, l. 3, tit. 14, cap. 5. Hæc annullatio votorum præcedentium locum habet etiam in præsentis statu monialium, quia moniales nostræ in favorabilibus veræ reputantur religiosæ. Non est dubium quin episcopus statuere possit ut professio in piis congregationibus ab ipso dependentibus emissa irritet vota simplicia auctoritati ejus subjecta, et hoc necessarium videtur, ne inter membra ejusdem congregationis existat discrepantia bono regimini noxia.

3° Aufert irregularitatem ex defectu natalium proveniente, ita ut spurii professi ad sacros Ordines promoveri possint sine dispensatione, non autem ad prælaturas aut dignitates ecclesiasticas.

4° Dirimit sponsalia et matrimonium ratum, sed non consummatum, ut in *Decretal.* l. 3, tit. 32, cap. 2, 7 et 14, statuitur, ac in conc. *Trid.*, sess. 24, can. 6, definitur; et subsequens quovis modo attentatum vel consummatum reddit irritum.

5° Ex consuetudine jam a pluribus sæculis existente et in religiosis ordinibus communi, professio religiosa inducit obligationem sub peccato mortali, pro religiosis et monialibus choro destinatis, divinum cantandi officium vel privatim recitandi, juxta proprias uniuscujusque ordinis constitutiones. Ita contra nonnullos probabilistas, omnes

moraliter theologi, ut videre est præsertim apud *S. Ligorium*, l. 5, n. 141 et seq., qui et ipse hanc amplectitur et fortiter tuetur sententiam. Docet tamen ut sententiam communem, 1° prælatos etiam inferiores dispensare posse, ex justa causa, puta, studiorum et simili, cum suis subditis, in recitatione divini officii, sicut in aliis observantiis; 2° ubi constat in aliqua religione non esse consuetudinem divinum officium recitandi, talem in ea non dari obligationem; 3° religiosum aut moniale singulariter spectatam horis in choro assistere non teneri sub mortali, modo chorus non tollatur, quo in casu præceptum commune singulos sub gravi urgeret; 4° communitatem a choro excusari, si non sint ad minus quatuor expediti, id est, non infirmi aut aliter legitime occupati; 5° probabiliter sufficere ad satisfaciendum choro, ut soli novitii intersint, quia in favorabilibus reputantur religiosi; 6° licere religiosis, ex justa causa, horas in sacristia recitare; 7° omissa in choro supplere non teneri eos qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; quia totum efficiunt morale cum sociis, et suo modo ad officium concurrunt: probabilius tamen supplendum est quod a solis pulsatur organis, ut in *Tractatu de Ordine*, agendo de officio divino, diximus; 8° in communitatibus in quibus, præter officium diei, cantandum est officium B. Mariæ aut defunctorum, aut septem Psalmi pœnitentiales, hanc obligationem non afficere extra chorum privatim recitantes; sed id videtur esse pro communitatibus officium Romanum habentibus, vi const. S. Pii V, non pro iis quæ aliud officium recitant, ut videre est apud *Billuart* et *Ferraris*, verbo *Offic.*, art. 3, n. 104; 9° ad divini officii recitationem non teneri novitios, nec conversos; 10° sed graviter peccare superiores qui ex negligentia permittunt ut pars notabilis in choro omittatur, vel male celebretur.

6° Religiosus non tenetur esse actu perfectus, sed vi professionis ad perfectionem tendere tenetur per media suæ religionis, id est, sequendo suas regulas et non alias: si regulas contemneret, si ea tantum servare vellet quæ sub

